



Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt

urn:nbn:de:gbv:3:1-263339-p0001-3

DFG

1780,9
MA
550

DISSE^TRAT^O IN AVGVRALIS
DE
RETORSIONE IVRIVM
PRAECIPVE IN CAVSIS CAMBIALIBVS

MAGNIFICIS
QVAM
AVSPICIIIS REGIIS

ILLVSTRIS ICTORVM ORDINIS AVCTORITATE

PRO
L I C E N T I A

SVMMOS IN VTRQVE IVRE CAPESSENDI
HONORES

D. XV. APRILIS C^IC^ICC^LXXX

H. L. Q. C.

PVBLINE DEFENDET

A V C T O R

VINCENTIVS OLDENBURG
HAMBURGENSIS

GOETTINGAE,
LITTERIS FRIDER. ANDR. ROSENBUSCH.

DISSESTITIJO INAGARVATIS
DE
RHETORISONE IARIVM
PRAECLARE IN CASIS CAMPALIBVS.

AVANT
MUSICAIS MAGIS
ILLUSTRIIS IECOTRUM ORDINIS ACTORIATIS


PRO
LICENTIA
SCHOLIOS IN MUSICA IARIS CAPITULIS
HONORES
D. M. APPARIS CLIPCCXX
AUGUSTO
PARVICIS DIFFERENDIS
AUGUSTO
VINCENTIAS OLDENBARG
HAMBURGENSIS

GOTTINGAE
LITTERIS FRIDER. ANTR. REICHENBACHI

I N C L Y T A E
R E I P U B L I C A E H A M B U R G E N S I S
S E N A T V I S S P L E N D I D I S S I M O
V I R I S
P E R I L L V S T R I B V S
M A G N I F I C I S S A P I E N T I S S I M I S C O N S V L T I S S I M I S
A M P L I S S I M I S
C O N S V L I B V S
S Y N D I C I S
S E N A T O R I B V S
S E C R E T A R I I S
P A T R I A E P A T R I B V S O P T I M I S
H A S S T V D I O R V M S V O R V M P R I M I T I A S
D. D. D.
T A N T O R V M N O M I N V M

C V L T O R O B S E R V A N T I S S I M V S
V I N C E N T I V S O L D E N B U R G.

IMMORTALE
REIPUBLICAE HAMBURGENSIS
SENATI SPLENDIDISSIMO
A I R I S
PERILLAS TRIBVS
MAGNITICIS VIVENTISSIMIS CONSALITISSIMIS
AMPLISSIMIS
CONSATIBVS
SYNDICIS
SENATORIBVS
SECRETARIIS
PATRIAE PATRIBVS OPTIMIS
HABITATIONVM SAVRVM PRIMITIVIS
a a a
MUNICIPIUM NOMINUM
CATALOGUS OBSERVANTISSIMA
AMICINITIAZ OLDENBURG



§. I.

Retorsionis voce hic intelligo: si exteri apud nos eodem iure
vti iubentur, quod apud eos erga nostros obtinet.

Fundamentum iuris retorsionis est cura salutis publicae, ne
respublica nostra per iura alibi obtainientia detrimentum capiat.

Igitur ut iusta sit retorsio praecipue requiritur laesio, seu ut
tale ius in alio territorio obtineat, per quod nostri in negotiis
cum illius territorii ciuibus semper deterioris conditionis sunt et
ita tota nostra ciuitas laeditur.

Non vero sufficit in alio territorio ius tantum a nostro iure
diuersum obtainere, quo vñus alterue nostrorum in illo territorio
per accidens durioris conditionis per accidens vero etiam melio-
ris conditionis esse potest, quam apud nos in eodem casu fuisset;
Tunc euim nulla certa inaequalitas et ita etiam nulla totius
nostrae ciuitatis laesio; et ergo etiam nulla iusta retorsionis cau-
fa adest (a).

Maximopere vero differt ius retorsionis de quo hic agendum
ab illa retorsionis specie quae iam iure Romano continetur. Haec

A

enim

enim supponit quodammodo factum illicitum; neque competit nisi erga magistratum, qui ius nouum constituit et eum qui id impetravit, eorumque heredes tantum quatenus heres et defunctus in iure pro vna persona habentur, nempe in actionibus quas ille ex persona defuncti instituit (b). Retorsio autem de qua hic mihi agendum, exercetur contra quemuis eius rei publicae ciuem vbi ius nobis durum obtinet; et igitur etiam principia quae de illa iuris Romani retorsione valent, ad hanc applicari nequeunt.

(a) Voet, ad Pandect. L. 2 T. 2. §. 5.

cf. G. E. A. STRUVIVS de vindicta priuata et retors. iuris iniqui. C. H. WILDVOGEL de iure retorsionis inter status imperii. D. A. FRID. HOHEISEL de retorsione iurum statutariorum variantium nec aqua nec prudente. I. O. GOTTH. BAVER de vero fundamento, quo inter civitates nascitur retorsio iuris. C. A. OTTO RECHENBERG de bello legum contra leges, retorsione ementali metiendo.

(b) L. 3 pr. §. 5. 6. D. quod quisque iur. in alt. stat.

S. II.

Locum habet ius retorsionis praecipue inter respuplicas independentes, quae nullum superiorem judicem ad lites inter ipsas ortas dirimendas agnoscunt. Competit vero etiam statibus Imperii, nonsolum erga plane exterros, sed etiam inter se; quum in plurimis causis etiam inter se, iure gentium vtantur, et diversa territoria saepissime vt respuplicae per se subsistentes considerari queant, quibus diuerfa sunt iura, regimen ciuale atque interesse politicum.

Sed quanta sint iura regalia quibus gaudent status Imperii, tamen semper vt ciues vnius reipublicae, vt subditos certis iuribus vi priuilegii ornatos considerari eos oportes. Subsunt igitur

mine.

A

tur in exercitio iurium quae voce potestatis territorialis veniunt, iurisdictioni et summae inspectioni Caesaris et Imperii: Et hoc exercitium ex natura subiectionis per leges et ex rationibus salutis publicae totius Imperii determinari atque limitari potest.

Ita et in exercitio iuris retorsionis quaeri debet, nonsolum an utilis, sed et an iusta sit retorsio.

S. III.

Ius in alio territorio obtinens et de cuius retorsione quaeritur, esse potest:

I. Injustum seu plane iniquum, quod quodammodo factum illicitum continet, aut quo ius perfectum sive totius alterius ciuitatis, sive singulorum laeditur. Hoc quidem erga exterros et iuste et utiliter retorquetur. Nec obstant huius iuris erga exterros exercitio, nisi rationes prudentiae et humanitatis. Erga concives vero imperii nunquam retorqueri, sed ad auertendam iniuriam tantum iudicis auxilium implorari potest; nisi quo casu per leges unicusque priuato, via facti procedere et sibi ipsi ius dicere licet. Per retorsionem enim ipse retorquens factum illicitum committeret. Quod vero alias non licet, neque praetextu iuris retorsionis licitum fieri potest; sed hoc tantum efficit, ut quod alias iniquum foret, aequum videatur. (a)

Inde quod nemini ius perfectum et iam quaesitum laedi possit praetextu iuris retorsionis, fluit etiam; hoc non exerceri posse, nisi ex antecedente per leges sive generales sive speciales determinatum sit. Vnusquisque enim sive sit ciuis sive peregrinus habet ius quaesitum, a momento quo ius ei in aliquo loco competere incipit aut negotium ibi consummavit, ut iudicetur secun-

dum leges loci vbi negotium consummatum aut ius ei quaesitum est, nisi aliter per partes sit determinatum. (b)

(a) Violenta retorsionum species, quae communiter repressiarum nomine venit, expressis legibus prohibetur. R. I. 1570 §. 84. verbis: *wenn auch die arresta wie die Regraffalien generaliter in Rechten verboten.* GE. LVD. BOEHMER de principe imperii, ius suum vi et armis tuente. DAV. GE. STRYBE von erlaubten und unerlaubten Kriegen der Reichsflände. SVENDERMALER de principe ius summ vi et armis prosequente. WERNHER Obseruat forens. T. I. P. 3. obs. 115.

Quod legibus prohibetur, neque iure retorsionis fieri potest, nisi id expressis legibus permittatur in uno altero e casu, quod doceri debet. In genere quoties quis adhuc via iuris experiri potest, retorsio locum habere nequit, vt species vindictae priuatae; nam etiam per retorsionem laetus, haberet actionem contra retorquentem: Ut vero tunc retorquens se tueri possit exceptione, id de quo queritur factum esse iure retorsionis, speciale fundamentum probari deberet, quare quod alias non licet, retorsio causa per leges fieri licet.

(b) L. 6 D. de cuiq. L. 34 de R. I. BERGER in Elect. proc. exc. §. 40. et in Elect. disc. forens. T. 5. obs. 3. n. 4. Voct. L. I. T. 4. §. 6. 7.

§. IV.

II. Ius iniquum, si in certo territorio in odium peregrinorum, aliud ius obtinet erga peregrinos quam erga ciues, quo tam nemini ius perfectum laeditur.

Hoc semper retorqueri potest erga ciues illius territorii, quod iure iniquo erga peregrinos vtitur, modo retorsio per leges provinciales iussa sit. Sine lege sive generali sive speciali locum habere non potest; ita enim exteris ius quaesitum quod ipsis per leges nostri territorii iam competit laederetur. Ius quaesitum ve-

ro nemini laedi potest, nisi in poenam propter factum illicitum,
et ex rationibus salutis publicae, sed tunc etiam salua necessitate
laesum indemne reddendi. Neque villam rationem video, cur
ipso iure competere possit, quum nullum eius sit fundamentum
in iure communi: vid. supra §. 1. et 3. Aequissima est iuris ini-
qui retorsio, quum unicum saepius medium sit, auertendi dam-
num nostrae ciuitatis.

Et quamvis dura esse possit iis contra quos exercetur, et
qui ipsi neque considerunt ius iniquum, neque eo vni sunt; ta-
men approbasse censentur iura loci vbi domicilium habent et in-
ter ea etiam ius iniquum ibi obtinens, et hoc ipsum iis casu eue-
niente in negotiis eum nostris proficuum esse potest. Tamen sae-
pe princeps prudentur hoc iure retorsionis non vtitur.

§. V.

III. Ius tantum diuersum in alio territorio optimens:

Potest sine dubio legibus determinari, ut ciues certi territo-
rii, aut omnes peregrini apud nos eodem iure vtantur quod apud
ipsos obtinet, modo inde nemini ius perfectum laedatur vel alias
factum illicitum committatur. Potest sine dubio princeps diuer-
sa iura in territorio suo introducere: Potest quibusdam priuilegi-
um concedere sine iniuria aliorum; omnibus etiam ius singulare
dare potest, exceptis quibusdam, si iusta causa adest.

Fingere mihi etiam possum easum vbi iuris tantum diuersi
iusta foret retorsio. Si nempe hoc ius nostris ciuibis semper aut
saepius durum est; Tunc quamvis per accidens, tamen certa

et permanens inaequalitas adest; et ita principis est per modum retorsionis aut alio modo sibi ciuibusque suis propicere. Retorsio enim non tam exercetur ad vindicandum iniurias quam ad damnum auertendum, quum fundamentum eius sit cura salutis publicae.

Attamen certum est, fere semper per tale ius diuersum exteriores tantum per accidens deterioris conditionis fieri, per accidens vero etiam melioris conditionis esse posse, quam in eodem casu in ipsorum territorio forent. Tunc vero nulla certa inaequalitas et ita etiam nulla iusta retorsionis causa adest.

Saepissime etiam princeps per retorsionem iuris tantum diuersi, reuera ius iniquum constituit. Verbi gratia: Iure Saxonico filiae ex hereditate materna praecipuum quid capiunt quod Geradae nomine venit; filiae vero ex alio territorio, vbi ius commune, nihil praecipuum habent, et igitur si in Saxonia domicilium habent, minus in Saxoniam inferunt, quam filiae Saxonnes ad exteriores: Iure retorsionis igitur legibus determinatum est, ne filiae apud exteriores degentes vbi ius commune obtinet, geradam capiant. Sed inaequalitas quae aderat, iam eo sublata erat, quod filii ex territorio vbi ius commune obtinet in Saxonia viventes partem suam ex hereditate materna capiunt non deducta gerada; filii Saxones vero ad exteriores tantum adferunt partem suam deducta gerada. (α)

Secundum hoc exemplum, tollitur effectus iuris particularis Saxonici vbi exteris proficuum erat: subsistit vero vbi durior eo exterorum conditio est. Reuera igitur praetextu iuris retorsionis, ius iniquum constitutum est.

Quam-

Quamvis princeps ita constitnere possit, tamen certe neque
iuste neque prudenter agit.

His omnibus consideratis, facile apparet; quamvis ius tan-
tum diuersum retorqueri possit et ad minimum casus dabilis sit
vbi iusta foret retorsio, nempe vbi ius diuersum alteri ciuitati re-
vera durum est; tamen rarissime per ius diuersum certam et per-
manentem inaequalitatem adesse. Inde etiam colligo; in dubio ge-
tantum ius iniquum retorqueri posse a iudice, si retorsio in ge-
nere per leges iussa est.

Ad retorsionem iuris vero tantum diuersi specialis lex re-
quiritur.

(a) WERNHERI enunc. 350. EISENHARD von Sprichwörtern p. 268.

§. VI.

In omni iuris retorsionis exercitio videndum:

I. Ne eo factum illicitum committatur, neque alicui ius
perfectum laedatur.

II. Ne quid fiat, praetextu iuris retorsionis, contra iura et
libertates propriorum subditorum; quamvis alias respectu exte-
riorum et iusta et utilis esse possit retorsio Verbi gratia: Si prin-
ceps iure retorsionis censum detractus et emigrationis a bonis,
in aliud territorium vbi haec iura obtinent, transuehiendis exi-
gere vellet, quem alias ei non competant. (a) Ita enim pro-
priis subditis ius disponendi de ipsorum proprietate pro parte ad-
imeret, iisque onus imponeret, quod tamen in territorii vbi
adhuc aliqua priscae Germanorum libertatis species superest, sine
eorum



eorum consensu imponere iis non licet. Si tali casu retorsio locum haberet, principes omnia iura subditorum violare possent, hoc praetextu.

III. Ne ipsa retorsio in detrimentum vertat ipsius ciuitatis, quae ea vtitur.

Hic etiam retorsio respectu exterorum contra quos exercetur iusta esse potest. Tamen prudenter princeps iure retorsionis non vtitur, quum tantum in saltem totius reipublicae exerceri debeat.

IV. Ne retorsionis fines transgrediantur, id est, ne exteriori contra quos iuris retorsionis vhus fit, deterioris conditionis apud nos siant, quam nostri apud eos sunt. Si quid durius in eos constituitur, hoc non iure retorsionis fit, sed ius iniquum efficit.

(a) Haec quidem iura licite retorquentur, quum et census emigrationis expresse legibus imperii approbatuſ sit, quatenus ex cuiusque loci confitudine introductus. Sed quum reuera sint onera propriis subditis imposta, patet, neque iure retorsionis exerceri posse, si illi contradicant, qui in nouis oneribus subditis imponendis, ius contra dicendi habent; neque ab ipso principe exerceri posse, si forsan ciuitas in territorio ex speciali titulo immunitate ab his oneribus gaudeat: Tunc enim census detractus et emigrationis a ciuium bonis, in aliud territorium vbi haec iura exercentur, transuendis, non nisi cum ipsius ciuitatis consensu exigi possent.

R. I. 1555. §. 24.

Io. FRIED. BONHOEFER de iure detractus.

§. VII.

His de iure retorsionis in genere breuiter expositis, facile erit ad determinandum, vbi in causis cambialibus secundum di-

versas

versas causarum circumstantias, retorsio sit licita, et iusta et
utiles.

Prima hac in re oriri quaestio potest: num iure retorsionis
ciuib[us] territorii vbi ius cambiale nondum introductum, possint
denegari iuris cambialis beneficia si ex cambio agunt in loco vbi
ius cambiale obtinet?

Ius cambiale, nil amplius est, quam legitima determina-
tio eius in quod partes tacite in dubio consensisse censemur, si
negotium cambiale inueniunt, sub modo legibus praescripto.

In territorio vbi nullum ius cambiale per leges introductum
est, desicit haec legitima determinatio. Quodsi igitur ibi quis
simpliciter sub clausula cambiali se obligavit, neque ex instru-
mento certum fit, quid per hoc intellexerit, per se patet, id
quod alibi rigor cambialis vocatur, contra debitorem locum ha-
bere non posse, quum non constet de intentione partium. Tan-
tum ita contra debitorem proceditur, quatenus ex ipso instrumen-
to de intentione partium constat; nempe regulariter tantum exe-
cutive ex cambio agi potest, tanquam ex chirographo liquido (a).

Sed nemo inde laeditur, quum defectus legum conuentio-
nibus priuatorum suppleri possit. Vbi enim Ius cambiale non
obtinet, licet tamen creditori debitorem secundum rigorem
cambiale obligare modo constet de intentione contrahentium.

Potest enim creditori debitori suo quascunque conditiones
praescribere. Et ex parte debitoris est libertatis naturalis se cre-
ditori quocunque modo velit obligare si tantum liberum ius habet

disponendi de bonis et persona sua, neque certus modus obli-
gandi debitores per leges prohibitus sit (b).

Potest igitur etiam debitorem suum secundum rigorem cam-
biale obligare, etiam in territoriis ubi nullum ius cambiale per
leges obtinet; quum rigor cambialis nullibi sit prohibitus, quin
potius per leges Imperii expresse adprobatus (c). Sed constare
debet, quid partes sub obligatione cambiali voluerint, aut quod
id in ipso chirographo expresse determinetur, aut quod se refe-
rant ad aliud determinatum, si nempe creditor debitorem secun-
dum aliud certum ius cambiale in alio loco obtinens obligat. Quod
si non fecerit creditor, propriae negligentiae poenam fert.

Deficit igitur omne fundamentum retorsionis.

(a) L. 34. de R. I. Mantica de conventionibus tacitis et ambiguis.
HOFFMANN Select. Observ. forens. obs. II.

(b) KOSSE de pecunia mutuatia tuto colloquanda c. 3. §. 27. KAEST-
NER de obligatione ad carcera ex causa debiti. REINHARD Select.
quaest. forens. qu. 5. RICCIUS de contractibus accessoriis Germano-
rum. PUFFENDORF Introductio in processum civilem P. I. c. 4. §. 47.

(c) R. I. 1654. §. 107. Conclus. I. 1671. CRAMER Wetzlarische Neben-
sund. p. 80. p. 97.

§. VIII.

Retorsio etiam locum non habet, quia ii contra quos exer-
cetur, deterioris conditionis fierent, quam retrorquentis subditi
apud illos sunt.

Vbi nullum ius cambiale obtinet, creditoribus tamen libe-
rum est debitores secundum rigorem cambiale obligare, modo

partis

pactis contrahentium determinetur, quod legibus non determinatum est.

Si vero princeps praetextu iuris retorsionis statueret, ne unquam in fauorem creditorum cambialium extraneorum, apud quos ius cambiale non obtinet, rigor cambialis obtineret, si ex cambio agunt: Tunc iis adimit omnem facultatem debitores secundum rigorem cambiale obligandi; quum tamen hic modus obligandi debitores, non solum nullibi prohibitus, sed potius per leges Imperii expresse adprobatus sit, et praecipue in territoriis vbi ius cambiale introductum est, cui tacite debitores se subiecerunt per extraditionem aut acceptationem cambii, quum quisque in dubio secundum iura in foro contractus obtainientia contraxisse censemur. vid. §. 3. 11. Manifestum est hic multo deterior fieri conditio creditorum extraneorum.

Princeps igitur ita constituendo, non iure retorsionis veteratur sed ius iniquum erga peregrinos constitueret.

§. IX.

Et quid contineret hoc ius iniquum quod praetextu iuris retorsionis statueretur? Creditor, siue sit ciuis siue extraneus, liberum ius habet sibi stipulandi a debitore restitutionem debiti aut aliam praestationem sub poena carceris et paratissimae executio-
nis, quum hic modus obligandi debitores per totam Germaniam licitus et adprobatus sit. Est hoc pactum adiectum; valet igitur si alias requisita pacti adsunt, praecipue ut debitor de persona et bonis suis disponere possit, et ut de intentione partium constet.

B 2

Nihil



Nihil vero interest an debitor expresse se obligauerit sub poena carceris et paratissimae executionis, an vero simpliciter sub clausula cambiali, quum in locis vbi ius cambiale obtinet, constet quid his verbis intelligendum sit. Tale pactum ita etiam obligatorium est inter contrahentes, et index secundum pacta privatorum pronunciare debet, alias esset denegatio iustitiae.

Princeps quidem, vi supremae potestatis cui omnia sub sunt, libertatem naturalem subditorum in uno alteroue casu limitare potest. Potest igitur etiam ex iustis causis omnibus subditis aut quibusdam tantum, hanc facultatem de persona sua disponendi adimere aut limitare. Sed si alias debitor facultatem liberam habet de persona sua disponendi, persona creditoris, siue sit ci vis siue extraneus, nihil mutare potest.

Et quomodo posset princeps statuere; tale pactum valere quidem, nisi creditor sit certi territorii ciuis?

§. X.

Et si rationes prudentiae spectare volumus, adhuc magis reprobatur hoc casu iuris retorsionis usus.

Rigor cambialis enim introductus est ex iusto commerciorum fauore; non in gratiam creditorum sed potius debitorum, vt maior iis fides sit praecipue apud exteroros. Finis igitur quem sibi princeps in condendo iure cambiali proposuit, non quam amplissime sequi poterit, si quibusdam exterorum denegaretur iuris cambialis beneficium. Fides ciuium apud exteroros diminueretur.

Eodem

Eodem quoque iure, quo ius retorsionis exerceri posset aduersus eos apud quos plane nullum ius cambiale obtinet; eodem iure etiam eius usus esse posset aduersus eos, apud quos quidem ius cambiale obtinet, sed minus favorabile forsan creditoribus. Sed retorsio vniuersiusque diuersitatis iurium fere non cogitari potest. Quanta enim tunc foret in iudicando, in negotiis cum exteris incertitudo? Tunc fere semper aduersus quemlibet alius territorii ciuem, aliud aliudque ius obtineret. Et etiam hic omnis ratio deficit cur ius retorsionis exerceri debeat, quum nulla adsit laesio, quia diuersitas iurium nullam facit certam et constantem inaequalitatem; et praeterea quatenus nulla lex prohibita aut expresse praceptiva adest, pactis priuatorum omnia aliter determinari possunt, quam per leges determinata sunt.

§. XI.

Si vero, debitore forsan in locum discedente ubi ius cambiale non obtinet, denegaretur iudicis auxilium secundum rigorem cambiale in loco contractus obtinentem. Quaeritur, an tunc retorqueri posset?

Debitor, si se cambialiter obligauit, in loco ubi ius cambiale obtinet, huic tacite se subiecit, quum quisque secundum iura in foro contractus aut ubi debitor conueniens visitata in dubio contraxisse censetur. Contrahentes enim, praecipue si negotium in loco ubi debitor domicilium habet perfectum est, nihil aliud cogitare potuerunt, quam debitorem si praestationem debiti detrectaret, iudicatum iri a iudice fori domicilii debitoris, secundum iura in hoc foro obtainientia. Creditor igitur habet ius

quaesitum ex hoc pacto tacito, quod per mutationem domicilii a debitore factam, et quam creditor praeuidere non potuit, ei adimi nequit. Vbicunque igitur latitet debitor, iudex secundum iura loci contractus pronunciare debet ex tacita, praesumta conventione partium; si vero iudex ita pronunciare nollet, esset species denegatae iustitiae, neque dubium mihi videtur, ex hoc capite summa Imperii tribunalia adiri posse.

Et etiamsi debitor in loco vbi deprehenditur potestatem cambiandi per leges prohibituas non haberet, tamen negotium valide perfectum est et ita rigor cambialis contra eum obtainere debet. Idem est ac si quis valide mutuum contraxisset, postea fit miles, in loco vbi milites mutuum contrahere non possunt. Aperte est inhabilitatem hanc superuenientem non nocere, modo negotium valide perfectum sit. Concludo inde, ius retorsionis locum habere non posse, quum retorquens praetextu iuris retorsionis exteris ius perfectum ex pacto sive expresso sive tacito quaesitum laederet. Quamvis alias hic iusta retorsionis causa adesset.

Sed tamen non dubito casu obueniente posse exigere reuersales a iudice actoris, vt in posterum, contra debitorem cambiam procedatur secundum rigorem cambialem in foro contractus visitatum. Licet enim illius loci iudicem adhuc per pacta ad id obligare ad quod aliunde iam obligatus erat.

(a) HERTIVS de collis. legum c. 4. §. 10. BALCKE de mutatione iuriuum, ex mutat. domicili resultante. LUDOVICI de muliere cambiante §. 30. cf. etiam RIVINVS de praerogatiis creditor. cambial. §. vlt.

§. XII.

Hoc est quod dicitur de iure reversionis in concursu.

Potissima quaesito de usu iuris reversionis oriri potest in concursu.

Si extranei creditores in aliquo loco non admittuntur nisi prius satisfactum sit ciuibus de ipsorum creditis, iustissima causa reversionis adest, nempe certa et permanens inaequalitas et ius iniquum erga peregrinos.

Obstare quidem videtur, quod tamen inde laedatur ius perfectum creditorum extraneorum. Sed tamen potius moto concursu omnia iura creditorum cessare videntur, non quidem quoad ipsum ius sed quoad exercitium; a principe igitur determinari posse, quum omnibus satisficeri non possit, quis prior admittendus sit; et eodem iure, quamvis non ex eadem iusta causa, ut quaedam debita propter causam debiti, ita etiam propter personam creditoris posse priuilegiari.

Iniquissimum profecto mihi videtur tale ius, sed tamen stricto iure constitui posse credo.

Et reuera creditoribus non ius perfectum laeditur, quum iam antea sciebant creditores extraneos in concursu tantum post cives admitti.

Sed profecto si tale ius ciuibus prae exteris dari potest, summo iure huius iuris iniqui locum habebit retorsio.

Sed si in alio loco tantum diuersitas est in ordine forsitan quo collocantur creditores; aut quod ibi creditores cambiales non eodem praelectionis iure gaudeant prae chirographariis, omnis ratio cur retorqueri debeat deficit. Nam priori casu exteri tantum per accidens durioris conditionis esse possunt, per accidens vero etiam melioris conditionis. Et posteriori casu, creditores

sibi

sibi melius prospicere et expresso pacto hypothecam sibi stipulari potuerint, quod ex supra deductis patet.

Fere omnes etiam leges cambiales vbi iuris retorsionis mention fit, expressis verbis id tantum locum habere voluat, si in alio loco exteri non eodem iure cum ciuibus, praecipue in cursu gaudent. *Dantziger W.* 1701. art. 35: *Bremer* 1712. art. 60: *Braunschweiger* 1715. a. 55: *Frankfurt am Main* 1739. art. 47. Ita etiam declarata est Ordinat. Cambial. Prussica de 1751. art. 24. cuius verba dubiam quodammodo interpretationem admittabant, per rescriptum regis de 1756. (a)

Et eodem modo etiam interpretari debere Ord. camb. Anstrriaca de 1717. art. 50. quae in hoc passu verbotenus cum Prussica conuenit, non dubium mihi videtur. Deficit enim omne fundamentum retorsionis, et fere semper per retorsionem ius iniquum constitueretur. vid. S. 53.

(a) Zweite Fortsetzung des Siegelscheii Corp. iuris cambialis p. 27

THESES.

- I. Emotor re tradita neque fide de pretio habita statim ad usuras pretii nondum soluti teneatur.
- II. Conduktor operis qui fidem habuit, non habet hypothecam privilegiatam in acibus a se exstructis.
- III. Qui rem singularem non deductis impensis restituit, non habet actionem ad eas reperendas.
- IV. Donatio omnium bonorum valet.
- V. Nepotes non conferunt ea, quae parentes eorum acceperunt, si ab hereditate eorum se absoluuerunt.
- VI. Contra praescriptionem impletam locum non habet restituendam in integrum ex classula generali.

Göttingen, Diss., 1780



5b.



Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt

urn:nbn:de:gbv:3:1-263339-p0024-1

DFG



1780, 9
MA
SSO

DISSE^TAT^O IN AVGVRALIS
DE
RETORSIONE IVRIVM
PRAECIPVE IN CAVSIS CAMBIALIBVS

QVAM
AVSPICIIS REGIIS
ILLVSTRIS ICTORVM ORDINIS AVCTORITATE
PRO
LICENTIA
SVMMOS IN VTRQVE IVRE CAPESSENDI
HONORES
D. XV. APRILIS C^IC^ICC^LXXX
H. L. Q. C.
PVBLICE DEFENDET
AVCTOR
VINCENTIVS OLDENBURG
HAMBURGENSIS

GOETTINGAE,
LITTERIS FRIDER. ANDR. ROSENBUSCH.

